PRODROMUS

INSTITUTIONUM

MEDICINAE PRACTICAE

JOANNIS BAPTISTAE BURSERII

DE-KANILFELD

QUAS

NEOTERICORUM CONSILIO CASTIGATAS, CLINICORUM RECENTIORIS AEVI OBSERVATIONIBUS, ET PROPRIA EXPERIENTIA ADAUCTAS ATQUE SUPPLETAS

USUI ACADEMICO, TYRONIBUSQUE PROPRIIS DICAVIT

EQ. VALERIANUS ALOYSIUS BRERA M. D.

TICINENSIS

SACRAE CAESAREO-REGIAE APOSTOLICAE MAJESTATI IN GUBERNIO AUSTRIACO A CONSILIIS, IN CAESAREO-REGIO ARCHIGYMNASIO PATAVINO THERAPIAE SPECIALIS, ET PRAXEOS CLINICAE PROFESSOR P. O., SOCIETATIS ITALICAE SCIENTIARUM XLVIR, CAESAREO-REGII INSTITUTI ITALICI, NEC NON ACADEM. C. R. SCIENTIARUM PATAVINAE, C. R. MEDICO-CHIRURGICAE JOSEPHINAE VINDOBONENSIS, C. SCIENTIARUM PETROPOLITANAE, R. SCIENTIARUM BEROLINENSIS, GOETTINGENSIS, PARISIENSIS ec., CAESAREAE UNIVERSITATIS VILNENSIS SODALIS etc.

PATAVII

TYPIS SEMINARII

1822.

In his paginis animus nobis est agere, non de experientia, quae ratione non utitur, sed de iis praesidiis, quae methodo et ratione inveniuntur. — Quandoquidem igitur morbi curationem invenire est propositum, haud dubie necessum est, prius morborum numerum scire.

Galen. *de Method. medendi* L. I.

Jamdiu in animo nobis erat, idque etiam XIII kal. Augusti ann. MDCCCXIX nuntio publice edito declaravimus, B. Burserii jure optimo laudatas *Medicinae Practicae Institutiones* italico sermone redditas typis iterum tradere, easque ita additamentis auctas et quasi perfectas, ut integram Praxeos Medicae lectionum seriem ad Tyronum nostrorum institutionem atque utilitatem exhiberent.

Quo studio, qua diligentia tantum opus fuerit inceptum, quamque accurato tum temporum, tum rerum ordine progredi potuisset, Primum Volumen *Prolegomena Clinica* continens, elapso jam anno vulgatum, satis superque declarat. Verum CLEMENTISSIMI CAESARIS Edictum quum ad pristinam dignitatem Clinico-medicum Institutum revocasset, ac imperasset in theoreticis aeque ac in practicis exercitationibus lectionibusque unam tantum Latii linguam; probe intelleximus, eam in hisce Medicinae practicae Institutionibus vulgandis, inque erudiendis discipulis necessario linguam esse servandam, qua exaratae primum fuere, nec alia profecto ratione illustrationes exhibendas, commentaria, supplementa ad perficiendum opus idonea. Quo facto eximiis etiam illis Medicis obtemperare quodammodo vi-

debamur, qui Burserii Illustris Institutionibus jampridem assueti aegre fortasse ferebant, eximii hujusce operis, eloquentissimo stylo ab Auctore descripti, novam editionem alieno cultu et adscititiis ornamentis quasi deformatam prodire.

Annum scholasticum nuper elapsum (MDCCCXXI-MDCCCXXII) ad eam novae methodus partem dicavimus, quae febriles complectitur morbos, in tres Tractatus partitam (I. *Febres simplices*, II. *Contagia febrilia*, III. *Inflammationes febriles*), parique sollicitudine anno proxime ineunte, quod Superi faxint, in ordinem redigere constituimus quidquid in Therapiae Specialis disciplina ad illas aegrotationes pertinet, quae nimis lato vocabulo apyreticae nuncupantur, et meliori modo systematum organicorum propriae dici merentur.

Haec profecto morborum distributio in Tractatus Auctoris nostri Nosologiam penitus immutat, quum ille febrium et exanthematum Tractatubus morborum, quibus ipse curam adhibuit, historiam subjecerit singularum corporis humani regionum, ubi illis consueta est sedes, ad normam digestam. Qui quidem ordo Burserianis temporibus excellenter accommodatus propter ineptas Nosologias receptis modo repugnaret physiologico-pathologicis doctrinis systematum organicorum, quae inconcussa veluti fundamenta amplissimam clinicarum institutionum extructionem sustentant. Hanc vero mutationem eo libentius admisimus, quod novus ordo, quo nunc ob allatas causas distribuuntur Tractatus nostri ne minimum quidem affert Burserianis Institutioni-

bus detrimentum. Quid enim interest, *Commentariolum de inflammatione* a primo sejungi volumine originali, ut Tractatui Tertio de inflammationibus febrilibus praemittatur? Quaeque porro inter multiplices capitis, pectoris, abdominis morbos dispersa ad viscerum inflammationes spectant, ibidem quoque colligi? Certissimum illud est, hujus eximii operis indolem eandem semper futuram, licet in hac nostra editione ad lucem quandoque afferendam, eaque addenda quae desunt, modo capita, integri modo tractatus transferantur, ut meliori nexu in unum Clinicae doctrinae quasi corpus Institutionum nostrarum absolutam seriem devinciant. Disputationes tamen nonnullas, numero quidem paucas, liceat praecidere, uti quae jam obsoletis Chemiae principiis innixae, tenebras potissimum offundere inter tantam recentium inventorum lucem viderentur. Earum loco scriptis utemur, quae jam vitae functo Burserio praeter Institutiones, in lucem prodiere, ultimis ejusdem posthumis operibus nequaquam exceptis (1). Nec alia plura omittemus hactenus inedita, et quidquid praesertim maximi pretii in pulcherrimo Galeniani Operis exemplari reperiemus, quod manu propria Bur-

(1) Publica debetur grati animi testificatio clariss. Doctori Jo. Baptistae Berti Viro apud Veronenses Clinicam feliciter exercenti, qui opera Burseriana posthuma in lucem nunc edidit, quosdam nempe tractatus practicae Medicinae, qui in oblivione adhuc jacerent, nisi nobis fuissent servati a Nob. Viro S. R. C. A. M. a Consiliis Aulicis de Mazzetti eximio quarumlibet disciplinarum cultore ac patrono.

serius Illustris adnotationibus, observationibusque prope innumeris ad margines ditavit, nobisque Doctor Galli-Bibiena clarissimus Faventinae urbis Medicus singulari liberalitate dono dedit. Nobis quoque profuturas speramus additas a Gulielmo Cullen-Brown (filio cl. quondam Joannis Brown, vel, ut dicunt, Brunonis) adnotationes Anglicae versioni Medicarum Burserii Institutionum, quas ille Londini edidit anno MDCCCVI in quinque magnae molis volumina digestas. Luculenta vero Oratio kal. Junii habita anno MDCCLXX a praestantissimo Burserio ipso, quum in Caesareo-Regio Ticinensi Archigymnasio Medicinae Clinicae Cathedram iniret, universo operi proludet primo volumini inserta, et Commentarioli de inflammatione in alium, ut diximus, locum transpositi vice fungetur. Quas evidentissimas veritates mira sagacitate ea academica disputatio complectitur, nec aptius nec accuratius hac ipsa nostra aetate quisquam posset proferre!

Hanc itaque spartam proxime ineunte anno scholastico MDCCCXXII-MDCCCXXIII aggrediemur; nec tunc temporis unum tantum de febribus Tractatum publicam in lucem exhibere nos posse confidimus, eo siquidem ordine, qui inferius in sequenti Prospectu describitur. Cum autem sejunctos hujus operis Tractatus vulgare constituerimus, illud fortasse intercidet, ut dum Academicae doctrinae obtemperamus is prodeat prior, qui in serie fuerit posterior. Quamvis tamen nihil inde propositus operis ordo perturbetur, nihilominus prudenter admodum hac utemur licentia.

Magnum profecto est onus quod suscipimus! Sed quum multis jam ab annis animum ad id intenderimus, quumque *Prospectus Clinici*, qui ab anno MDCCCIX hactenus a nobis continenter editi sunt, uberrimam ac perutilem suppeditent materiem, speramus fore, ut aetatis etiam vigore adjuti (neque enim quinquagesimum adhuc annum transmisimus) operi huic nostro finem imponere, ut par est, possimus. In quam quidem spem eo alacrius ingredimur, quo magis est confidendum, ut intra quadriennium publice docendi curriculo rite percurso optatissimum nobis otium condonet CAESARIS AUGUSTI Clementia, cujus ad umbram, id quod fortasse imperfectum atque incomptum sit, pacate considerateque perficiamus.

Non deerunt fortasse quibus ampla nimis ea seges videbitur, quam nobis hisce Institutionibus colligendam proponimus, praesertim quum brevia prope Medicinae practicae Compendia Tyronibus soleant exhiberi, ut summa doctrinarum clinicarum quasi capita habeant prae manibus, possintque Doctores ex Cathedra ad pompam multa addere, multa illustrare. Enimvero si quis ad usitatam hanc Scholarum normam opus hoc nostrum voluerit judicare, certe nos accusabit nimietatis. Ast si eorum experientiam consulet, qui plures per annos docuerunt publice, manifeste intelliget, methodum hanc nostram, saltem quoad Therapiam Specialem, esse maxime necessariam, licet consuetudini adversari videatur. Etenim si verum est quod Medici studio ac judicio praestantissimi observarunt, ab Hippocrate ad nostra

usque tempora, binos omni ex parte consimiles morbos nec fuisse unquam, nec ab auctoribus usquam describi, quum morbus quivis suam quasi physiognomiam ac lineamenta peculiaria praeferat, Clinicae Medicinae studium tunc plurimum afferet emolumenti, quoties unusquisque morbus non in sua tantum simplicitate (quod quidem parum habet utilitatis), sed sub multiplici adspectu et in suis omnibus individualibus varietatibus Tyronibus ante oculos possibili modo proponetur considerandus. Ubi enim saepe saepius tot ac tantas morborum dissimilitudines ac formas singillatim accurateque animadverterint ac notarint, minime erit ipsis difficile, quum Medicinam profitebuntur, in perraris etiam ac parum observatis casibus se se honorifice extricare. Nec quis exclamet, velle nos hoc modo Arti Medicae eam auferre simplicitatem, quae a recentioribus quibusdam tandem donata est, tenebrasque iterum, data opera, offundere ambiguitatis et dubitationis. Ita ne vero! Quum Medici officium sit morbosas nostrae hujusce machinae perturbationes investigare atque dignoscere, quae adeo in singulis vel simplicioribus partibus apparet implicata, erit ne satis *ascensum ac descensum* actionum ac reactionum vitalium unice spectare? Hae nugae fortasse inexpertis poterunt obtrudi, minime vero iis, qui plurium annorum experientia instructi apertissime cognovere, Medicinam natura ipsa sua magnopere implexam esse, arduisque scopulis ac nonnumquam insuperabilibus obductam. Haud igitur est negotium, Tyrones per vastissimum conjecturarum prope

dixerim pelagus dirigere, ubi saepe paucis et accessu difficillimis insulis verae ac solidae latent cognitiones; quin imo affirmare audemus, nihil Professori cuilibet laboriosius esse posse. Verum nunquid patris nomine erit dignus qui ad filiorum suorum utilitatem non libentissime impendat curam omnem atque sollicitudinem?

Opus quod enuntiamus evulgabitur per Volumina diversis temporibus, nec ulla fiet acquirentium Societas, sed facultas unicuique dabitur, ut vel omnes simul vel separatim etiam Tractatus possit pro lubito emere. Patavii, eo loco in quo committuntur epistolae (*I. R. Direzione delle poste*), fiet quoque operis commissio atque expeditio.

Opportunum praeterea duximus nostris edere impensis hanc ipsam editionem, et ut a multis caveremus incommodis, quae aliter nequeunt vitari, et ut voluminibus honestissimum pretium statuere possemus. Universum opus imprimetur charta optima, typis lectissimis, et octavi forma grandi, nec cura deerit, nec studium, ut tum nitoris, tum correctionis, tum etiam sumptus ratio habeatur. Hoc interim praemonitum erit quasi quoddam specimen operis totius.

Datum Patavii VIII kalend. Octobr. A. MDCCCXXII.

PROSPECTUS TRACTATUUM

UNIVERSAM

INSTITUTIONUM MEDICINAE PRACTICAE

DOCTRINAM PRAEFERENTIUM

TRACTATUS I.

EXHIBENS FEBRIUM SIMPLICIUM DOCTRINAM

Genus II. Febris intermittens tertiana simplex, duplex, et duplicata, triplex et quadruplex.

A. Sincera.

Spec. 1. legitima vel regularis.

2. exquisita.

3. notha, spuria, *irritativa*.

B. Comitata.

Variet. 1. algida

2. apoplectica

3. arthritica

4. cardiaca

5. cholerica

6. coeca

7. colica

8. diaphoretica

9. dysenterica

10. emetica

11. *hydrophobica*

12. pethechizans

13. pleuritica

14. scorbutica

15. syncopalis.

Genus III. Febris intermittens quartana simplex, duplex, duplicata, triplex, triplicata.

Genus IV. Febris intermittens longioribus intervallis constructa.

Caput. III. De febribus continuis remittentibus.

Ordo I. Quotidianae continuae.

TRACTATUS II.

EXHIBENS CONTAGIONUM FEBRILIUM DOCTRINAM.

Sectio I.

Generalia de affectionibus contagiosis febrilibus.

Sectio II.

Peculiaria de febribus typhoideis.

Sectio III.

Peculiaria de exanthematibus specificis, seu contagiosis.

TRACTATUS III.

EXHIBENS INFLAMMATIONUM FEBRILIUM DOCTRINAM.

Genus VII. Glossitis.

Genus VIII. Paronychia.

Genus IX. Rachialgitis.

Genus X. Neuritis generatim.

Genus XI. Inflammatio plexuum coeliacorum vel centri gangliosi magni sympatici.

Caput IV. De inflammationibus systematis sanguiferi, et organorum respirationi inservientium.

Genus XII. Carditis, et pericarditis.

Genus XIII. Angioitis.

a) arteriosa (arteritis).

b) venosa (phlebitis).

Genus XIV. Tracheitis.

Genus XV. Bronchitis.

Genus XVI. Pneumonitis, et pleuro-pneumonitis.

Genus XVII. Pleuritis et mediastinitis.

Caput V. De inflammationibus systematis lymphatici, et organorum secernentium.

Genus XVIII. Lymphaticorum inflammatio.

Genus XIX. Adenitis.

a) parotidea.

b) salivalis.

c) tyroidea.

d) mammaria.

e) pancreatica.

f) mesenterica.

g) subaxillaris et inguinalis.

Genus XX. Hepatitis.

Genus XXI. Splenitis.

TRACTATUS IV.

EXHIBENS DOCTRINAM MORBORUM SYSTEMATIS CUTANEI.

Genus XXXIX. Tinea capitis.
Genus XL. Tinea faciei (crusta lactea).
Genus XLI. Herpes.
Genus XLII. Ulcera extremitatum inferiorum.
Genus XLIII. Lupus (*noli me tangere*).
Genus XLIV. Morbus Yaws, vel Framboesia.
Genus XLV. Morbus Cayennensis, vel Radesyge.
Genus XLVI. Morbus Canadensis.
Genus XLVII. Morbus Scoticus, vel Sibbens.
Genus XLVIII. Morbus Croatus, vel Scherlievo.
Genus XLIX. Hydrargirigo (*morbus mercurialis*).

Ordo VIII. Entoniiases et Helminthiases.
Genus L. Psora.
Genus LI. Phthiriasis et Achores.
Genus LII. Morsus insectorum, et serpentum.
Genus LIII. Vena Medinensis.

Ordo IX. Vitia qualitativa transpirationis.
Genus LIV. Cutis ariditas, seu ischidrosis.
Genus LV. Ephidrosis.
Genus LVI. Phosphorescentia et electricitas cutanea.

Ordo X. Vitia qualitativa unguium et capillorum.
Genus LVII. Mutationes unguium morbosae.
Genus LVIII. Alopecia et calvities.
Genus LIX. Canities.
Genus LX. Plica polonica, Trichoma.
Genus LXI. Hyrsuties, hispiditas.

TRACTATUS V.

EXHIBENS DOCTRINAM MORBORUM SYSTEMATIS ENCEPHALO-NERVOSI.

Genus XIV. Fatuitas.

Genus XV. Cretinismus.

Genus XVI. Delirium.

Genus XVII. Passiones effraenes (moeror, ira, amor, taedium vitae et suicidium, aversio a societate, nostalgia, insania ferox).

Genus XVIII. Paraphrosyne.

Genus XIX. Hypochondriasis.

Genus XX. Melancholia.

Genus XXI. Mania.

Caput IV. Morbi organorum sensuum externorum.

Ordo I. Morbi oculorum.

Genus XXII. Morbi palpebrarum, ciliorum et superciliorum.

Genus XXIII. Morbi organorum lacrymalium.

Genus XXIV. Morbi nervorum, vasorum et musculorum oculi.

Genus XXV. Morbi membranarum oculi.

Genus XXVI. Morbi cavitatum oculi.

Ordo II. Morbi aurium.

Genus XXVII. Morbi auriculae.

Genus XXVIII. Morbi meatus auditorii externi.

Genus XXIX. Vitia auditus.

Ordo III. Morbi olfactus.

Genus XXX. Sternutatio.

Genus XXXI. Blennorrhoea nasi.

Genus XXXII. Vitia olfactus.

Ordo IV. Morbi gustatus.

TRACTATUS VI.

EXHIBENS DOCTRINAM MORBORUM SYSTEMATIS SANGUIFERI, NEC NON ORGANORUM RESPIRATIONI INSERVIENTIUM.

SECTIO I.

Generalia de affectionibus haemato-pulmoneis.

Sectio IV.

Peculiaria de morbis thoracis et vasorum, et primum de pectoris contusionibus.

Ordo I. Vitia sanguificationis.
- Genus I. Plethora, sanguinis congestiones, errores loci etc.
- Genus II. Anaemia.
- Genus III. Scorbutus.
- Genus IV. Chlorosis.

Ordo II. Sanguinis fluxus (haemorrhagiae).
- Genus V. Morbus haemorrhagicus et coeruleus.
- Genus VI. Angiorrhagia.
- Genus VII. Ophtalmorrhagia.
- Genus VIII. Epistaxis.
- Genus IX. Kyttarrhagia.
- Genus X. Stomacace.
- Genus XI. Haemoptysis.
- Genus XII. Haematemesis.
- Genus XIII. Enterorrhagia.
- Genus XIV. Fluxus haemorrhoidalis.
- Genus XV. Haematuria.
- Genus XVI. Menorrhagia.

Ordo III. Retentiones sanguineae.
- Genus XVII. Ischaemia nasalis.
- Genus XVIII. Ischaemia haemorrhoidalis.
- Genus XIX. Dysmenorrhoea.

TRACTATUS VII.

EXHIBENS DOCTRINAM MORBORUM SYSTEMATIS LYMPHATICI, ET ORGANORUM SECERNENTIUM AC EXCERNENTIUM.

Caput I. Vasorum lymphaticorum ac organorum secretionibus atque excretionibus inservientium usus in oeconomia animali, atque influxus generalis in morbis.

Caput II. Generalia de morbis vasorum lymphaticorum, et organorum secernentium ac excernentium.

Ordo I. Retentiones.

a) Aquosae, seu Hydropes.

Genus I. Anasarca.

Genus II. Hydrocephalus externus et internus, et febris hydrocephalica infantum.

Genus III. Hydrorrhachia.

Genus IV. Hydrothorax.

Genus V. Hydropneumonia (oedema pulmonum).

Genus VI. Hydromediastinon.

Genus VII. Hydropericardion.

Genus VIII. Ascites.

Genus IX. Hydrovarion.

Genus X. Hydrometra.

Genus XI. Hydroceles.

Genus XII. Hydartrus.

b) Aliorum humorum.

TRACTATUS VIII.

EXHIBENS DOCTRINAM MORBORUM ORGANORUM DEGLUTITIONIS ET GASTRO-ENTERICORUM.

Caput I. Systematis gastro-enterici dignitas in oeconomia animali, et generalia de ipsius conditione pathologica.

Caput II. Animadversiones de passionibus gastro-entericis alios morbos, et praesertim phthisin pulmonum mentientibus.

Caput III. Peculiaria de affectionibus gastro-entericis.

Ordo I. Profluvia.

Genus I. Scoracrasia, seu incontinentia foecum.

Genus II. Physopsophia seu gazis expulsio copiosa et sonora per os, vel per anum.

Genus III. Diarrhoea.

Genus IV. Fluxus coeliacus.

Genus V. Lienteria.

Genus VI. Cholera.

Genus VII. Melaena vel morbus niger.

Ordo II. Retentiones.

Genus VIII. Ischocoilia, seu constipatio alvina ex vitiis foecalibus, vel ex stricturis intestinalibus, aut ex ani atresia.

Genus IX. Meteorismus et Tympanitis.

Ordo III. Spasmi.

Genus X. Anorexia et nausea.

Genus XI. Vomitus.

Genus XII. Dysphagia.

Genus XIII. Singultus.

Genus XIV. Dyspepsia.

Genus XV. Ruminatio.

Genus XVI. Apetitus erroneus seu pica et malacia.

Genus XVII. Auctus ciborum desiderium, bulimia et voracitas.

Genus XVIII. Adipsia et polydipsia.

Genus XIX. Tenesmus.

Ordo IV. Dolores.

Genus XX. Gastrodynia.

Genus XXI. Colicodyniae.

Genus XXII. Ileus, chordapsus et volvulus.

Genus XXIII. Passiones toxicae (ex veneficiis).

Ordo V. Pyorrhagiae.

Genus XXIV. Aphtae.

Genus XXV. Scirrhus et phthisis ventriculi ac intestinorum.

Genus XXVI. Ani fistulae.

Ordo VI. Ectopiae.

Genus XXVII. Prolapsus intestini recti.

Genus XXVIII. Herniae variae.

TRACTACTUS IX.

EXHIBENS DOCTRINAM MORBORUM SYSTEMATIS REPRODUCTIONUM.

c) post partum.

Genus XXVII. Puerperii affectiones, et lochiorum consideratio.

Genus XXVIII. Lactatio, lactisque metastases.

d) sub conceptione extrauterina.

Genus XXIX. Conceptiones tubales et ovariae.

Genus XXX. Conceptiones abdominales.

TRACTATUS X.

EXHIBENS DOCTRINAM MORBORUM SYSTEMATIS MUSCULARIS.

Caput I. Generalia de fibrae muscularis conditionibus.

Caput II. Animadversiones circa musculorum morbos directos et indirectos.

Ordo I. Morbi fibrae muscularis.

Genus I. Streblosis, seu distorsio musculorum.

a) extremitatum.

b) diaphragmatis.

c) dorsi et lumborum.

Genus II. Degenerationes substantiae muscularis.

a) spungioso-pulposae.

b) seroso-hydatideae.

c) membranaceo-tendineae.

d) adipo-cereae.

e) scirrhosae.

f) osteo-terreae.

Genus III. Myodiniae.

TRACTATUS XI.

EXHIBENS DOCTRINAM MORBORUM SYSTEMATIS OSSEI.

TRACTACTUS XII.

EXHIBENS ANIMADVERSIONES SPECIALES CIRCA MORBOS POSITIONUM, AETATUM, VITAE GENERIS, ARTIUM, PROFESSIONUM, CLIMATUM etc.

Recensentur conditiones morbidae *hominis dextri et sinistri; foetus, infantum, puerorum, puberum, aetatis provectioris et senilis; artificum, navigantium, militum, studentium, literatorum, et medicorum; regionum diversarum etc.*